QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS Medicorum die Iouis 16. Martij D. Ioanne Riolano Doctore Medico, moderatore prudentiſsimo.

Cùm vtriuſque magni remedij æqualis eſt neceſſitas, vtrum præmittendum?

MORBI ferè omnes fiunt inanitione, repletione, alteratione aut corruptela: Inaniunt æſtus, inedia, motus, vigiliæ, venus, triſtitia, ſanguinis, quinetiam inutilis excrementi immoderatum profluuium & partis ad vitam neceſſariæ inſigne vitium: vnde Atrophia, Tabes, Morbi in defectu. Replent contrariæ cauſæ, frigus, crapula, quies, ſomnus, gaudium, retenta, quæ naturæ legibus excerni debent: vnde intemperies cum materia, obſtructio, & Morbi in exceſſu. Alterant, quæ ſimplici & manifeſta qualitate nos immutant: vnde intemperies nuda. Corrumpunt, quæ occulta qualitate noſtræ vitæ principiis aduerſantur; vt aër peſtilens, venena & contagionis ſeminaria: vnde Morbi contagioſi, peſtilentes, venenati, qui valde propriè morbi formæ nominantur, tantum de nomine Hippocrati & Galeno ignoti.

INANITI paulatim reficiendi ſunt vſu ſimilium, non pharmaco aut phlebotomia commouendi. Repleti vtroque generoſo remedio deplendi. Alterati contrario ad temperiem reducendi, quod à medio diſtet pari gradu. Corruptela alexipharmacis oppugnanda, quæ formalis morbi cauſæ deleteriæ occulta proprietate reſiſtant.

EXTERNÆ cauſæ non tantùm mouent, ſed procreant interiores tam antecedentes quàm continentes, quæ ſunt in morbis præcipuæ, vt plethoram vtramque & cacochymiam totius vel partis. Plethora eſt vitium in quantitate; cacochymia in qualitate ſanguinis. Plethoræ ſuccurritur inciſa vena, cacochymiæ purgatione & venæ ſectione: Quibus præſidiis leuata natura, reliquum faciliùs coquit, coctum (nunquam crudum) excernit, coquit autem incraſſando.

MVLTÆ ſunt cautiones, priuſquam alterutrum remedium præſcribatur. Prima enim indicatio ſumenda eſt à viribus, ſecunda à morbo, deinde temperamenti, habitus corporis, ætatis, regionis, anni temporis & tempeſtatis habenda ratio: quandoquidem hyeme & æſtate non admodum conueniunt: Pueros & valde ſenes, pingues magis quàm graciles lædunt. In grauidis medio geſtationis tempore tutius tentari poſſunt, quàm primo & vltimo: Attamen primo venæ ſectio: poſtremo purgatio minore periculo poteſt imperari.

HVMOR peccans (niſi turgeat) ſi craſſus, incidendus: ſi tenuis, incraſſandus: ſi viſcidus, detergendus: quo facilius à cathartico attrahatur: corpus clyſtere præparandum: Obſtructionis ſi quæ ſit, vt ferè eſt, ſuſpicio, aperientibus ſoluenda: ſed nihil tam citò obſtructionis cauſam tollit, quàm venæ ſectio: facit vt deinde liberiores ſint viæ humori morbifico, minúſque reſiſtat ſine delectu trahenti cathartico (quod ſi minore doſi offeratur, in humorem ſuæ ſubſtantiæ cognatum tranſmutatur) formali quidem illa & efficaci qualitate, non perp[illegible] fo[illegible]a: quam purgandi vim, niſi viuentis calor exſuſcitaret, maneret otioſa. Præterea principio cruda ſunt omnia, humore crudo vena quidem incidi poteſt, non catharticum imperari.

Itaque cùm par eſt vtriuſque magni remedij neceſſitas, venæ ſectio præmittenda.

Aſſerebat GVILIELMVS L'HOSTE Ambianus. 1589.

Quaestio Medica
Cardinalitiis agitanda disputationibus In scholis Medicorum die Jovis 16a Martii D.
Joanne Riolano Doct. med. Moderat. prudentiss.

Cum utriusq; magni Remedii aequalis est necessitas, Utrum praemittendum?

Morbi fere omnes fiunt Inanitione, repletione, alteratione, aut corruptela. Inaniunt aestus, Inedia, motus, vigilia, urinae, tristitia, Sanguinis quinetiam Inutilis excrementi Immoderatum profluvium, et partis ad vitam necessariae Insigne vitium: unde Atrophia, Tabes, morbi in defectu. Replent contrariae causae, frigus, crapula, quies, somnus, gaudium, retenta quae naturae legibus excerni debent: unde Intemperies cum materia, obstructio, et morbi excessu. Alterant quae simplici et manifesta qualitate non Inundant: unde Intemperies nuda. Corrumpunt quae occulta qualitate nostrae vitae principiis adversantur: ut aer pestilens, venena et contagionis seminaria: unde Morbi contagiosi, pestilentes, venenati, qui valde proprie morbi formae nominantur tantum de nomine Hippocrati et Galeno Ignoti.

Inaniti paulatim reficiendi sunt ubi similibus non pharmaco aut phlebotomia commovendi. Repleti utroque generoso remedio depellendi. Alterati contrario ad temperiem reducendi, quod a medio distare pari gradu. Corruptela alexipharmacis oppugnanda, quae formalis morbi causae deleteriae occulta proprietate resistant.

Externae causae non tantum movent, sed procreant Interiores tam antecedentes quam continentes, quae sunt In morbis praecipuae, ut plethoram utramque et cacochymiam totius vel partis. Plethora est vitium In quantitate, Cacochymia In qualitate Sanguinis. Plethorae Succurritur Incisa vena, cacochymiae purgatione, et venae sectione: Quibus praesidiis levata natura, reliquum facilius coquit, coctum, (nunquam crudum) excernit, coquit autem Incrassando.

Multae Sunt cautiones, priusquam alterutrum remedium praescribatur. Prima enim Indicatio sumenda est a viribus, Secunda a morbo, deinde temperamenti, habitus corporis, aetatis, regionis, anni temporis et tempestatis habenda ratio: quandoquidem hyeme et aestate non admodum conveniunt. Pueri et valde senes, pingues magis quam graciles laeduntur. In grandiore medio gestationis tempore tutius tractari possunt quam primo et ultimo: Attamen primo venae sectio: postremo purgatio minore periculo potest Institui.

Humor peccans (nisi turgeat) si crassus, Incidendus, si tenuis, Incrassandus; si viscidus, detergendus: quo facilius a cathartico attrahatur: Corpus clystere praeparandum: Obstructionis si quae sit, ut fere est, suspicio, aperientibus solvenda: Sed nihil tam cito obstructionis causam tollit, quam venae sectio: facit ut deinde liberiores sint viae humori morbifico, minusque resistat sine delectu trahenti cathartico (quod si minore dosi offeratur, In humorem suae substantiae cognatum transmutatur) formali quidem illius efficaci qualitate, non perpetuo forma: quam purgandi vim, nisi vinctis calor resuscitaret, maneret otiosa. Praeterea principio cruda sunt omnia, humore crudo, vena quidem Incidi potest, non catharticum Institui.

Itaq; Cum par est utriusq; magni Remedii necessitas, Venae sectio Praemittenda.

Asserebat Guillelmus L'hoste Ambianus. anno D. 1589.